

AK. 534.2.

B. II

II d  
82

DE  
**ELEGANTIA**  
**DICTIONIS POETICAE**

IN  
MEMBRIS HUMANIS  
AFFECTUVM LOCO POSITIS

COMMENTATIO PRIMA

QVAM

PRAE SIDE

**IOANNE FRIDERICO HILLERO**

PROF. POES. PVBL. ORDIN. ALVMN  
ELECT. EPHORO

D. XVI. SEPTEMBR. cIcc LXVI

IN AVDITORIO MAIORI

TVEBITVR

A V C T O R


**M. CHRISTIANVS GOTTLIEB CLVGIVS**

VITEBERG. SAXO



VITEBERGAE  
YPIS IO. CHRISTOPH. TZSCHIDRICII





SENATVS IN SAXONIA SACRA SVMMI  
**P R A E S I D I**  
ILLVSTRISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO  
**P R O P R A E S I D I**  
PERILLVSTRI AC GENEROSISSIMO  
CAETERISQVE  
**C O N S I L I A R I I S**  
ATQVE  
**A S S E S S O R I B V S**  
MAGNIFICIS SVMME VENERABILIBVS  
ILLVSTRBVS ATQVE AMPLISSIMIS  
**D O M I N I S AC P A T R O N I S**  
S A N C T I S S I M E O B S E R V A N D I S  
HAS ACADEMICORVM STVDIORVM PRIMITIAS  
PRISCA CLIENTIS FIDE  
D. D. D.  
VENERATIONIS PVBLICAE SIGNIFICANDAE CAVSA  
QVA  
MERITA IPSORVM DE OMNI REPVLICA MAXIMA  
COMPLECTITVR



ET SIC VIT  
RES SPESQUE SVAS OMNES  
IPSORVM TUTELAE  
SUBIECTISSIME TRADIT  
SVSCIPIENDAS ORNANDASQUE  
ITA CVM  
GRATVM MEMOREMQUE ANIMVM  
PRO TOT TANTISQUE BENEFICIIS  
ALIIS NEQUEAT OFFICIIS DECLARARE  
VOTA NVNCVPAT RELIGIOSISSIMA  
VT NVMEN BENIGNISSIMVM  
QVOD SACRORVM DECVS AC LITERARVM DEFENDIT  
HAEC SALVTIS PVBLICAE COLVMINA  
PROTEGAT  
QVO AETERNA LAVDE FLORENTEM  
VIRTUTIS SVAE GLORIAM  
CONTINENTIEVS ACCESSIONIBVS CVMVLENT  
ET CONSILIORVM PRVDENTIA  
FORTVNAQUE MANENTE  
POSTERIS EXEMPLVM PRODANT

obsequio perpetuo deuinctissimus

M. CHRISTIANVS GOTTLIEB CLVGIVS



ELEGANTIA  
DICTIONIS POETICAE  
IN MEMBRIS HUMANIS  
AFFECTVVM LOCO POSITIS

PROOEMIVM

I



**I**n illustri, quae floret Portae, schola, foecunda tot alumnorum matre, vero Saxoniae ornamento, probatissimoque summae Nutritorum beneficentiae monumento, literis olim quam operam nauarem, *Freytagium*, at, quantae per orbem eruditum existimationis famaeque nomen! quam venerabilem doctrina, docendi peritia, grauitate, pietateque virum! cuius in tumulum vel hodie flores spargere multo ducerem honori! *Freytagium* inquam, in classicis Latii scriptoribus enodandis illustransque, praeter alia plura, usum maxime loquendi admiratum fuisse, discipulisque ut memorabilem commendasse, memini: in quo id praesertim attendendum dicebat, quod veteres illi unicuique fere corporis humani membro res quasdam triduere,

A

*Dicendi occa-  
so.*

## II DE ELEGANTIA DICTIONIS POETICAE

buere, idque earum sedem nominare, consuerint. Addebat insuper Senex grauissimus, opus fore non spernendum plane, nec omnino superuacaneum, si quis locos scriptorum, id comprobantium, in unum colligere volumen, huiusque dictionis reddere velit rationem. Hinc, credo, factum fuit, ut, in perlegendis Graeciae Latique scriptoribus, ad hunc loquendi modum maxime attenderem. Attendi tamen ita, ut ad designandos affectus eundem plerumque adhiberi cognouerim, imo membra humana affectuum loco poni solere a scriptoribus, ipsorum affectuum ne verbo quidem mentionem facientibus. Singularem inde oriri *elegantiam* nemo negabit, qui secum ponderaturus est, hoc ipso unam vocem duas animo lectoris tum proponere, tum reuocare notiones, ideoque maxime neruofam dici debere, vel, ut grammatici parum commode eloquuntur, praegnantem. Affectus scilicet non indicatur tantum, sed simul etiam vel modulus, vel locus, quo in homine se exprimat, cum lectoribus communicatur. Ita praeter alios carminum scriptores canunt, ut non omnia dicant, quae foecundo se sistunt ingenio, verum quaedam omittant consilio, quae ipse cogitet lector, atque mente addat: breuitatis quoque sunt quam maxime studiofi, quoniam loquacitas a bono carmine abhorret: eiusmodi ergo voces adhibere ipsorum subinde esse, nulli dubitant. Hinc nec miratus fui, quum apud poetas praeferunt talem loquendi formulam reperirem. Inde de elegantia *ditionis poeticae* in primis me scripturum esse in commentationis fronte promisi. Prosaicos scriptores eundem nonnunquam adhibuisse tropum, eadem usos esse elegantia, membra corporis humani affectibus sacra nominasse, ideoque epitheta quaedam, quae rem extra dubitationem ponant, addidisse, plane non inficiar, corpus modo humanum, ipsius affectus loco positum, vel in primis apud poetas occurrere, vel ita a me apud ipsos obseruatum esse profiteor, ideoque a potiori hic fieri cupio denominationem. Fides insuper habenda videtur Quinctiliano, qui a poetis in primis, quicquid animi commo-

commotionibus seruiat, petendum censet, dum l. 10. *Instit.*  
*Orator.* c. 1. n. 27. p. 490. *edit.* *Gesner.* ab illis non solum in  
 rebus spiritum, in verbis sublimitatem, et in personis deco-  
 rem, sed et in affectibus motum omnem peti posse dicit.  
 Cui et hoc accedit, quod imitantur non raro profaici, et in-  
 ter hos oratores atque panegyristae, poeticos loquendi mo-  
 dos, alto aequo nonnunquam incidentes cothurno, quem  
 foccum tamen nominaueris, nostro prae intumescente sae-  
 culo, quo montes saepe parturiunt, nec quidquam vel recte,  
 vel pulchre, dictum iudicatur, quod hyperbolis refertum  
 non sit. \*) Temporis, quod vel in academia ab academicis  
 laboribus atque studiis vacabat, in poetarum veterum lec-  
 tione consumti, me neque adhuc poenituit unquam, ne-  
 que poenitebit postea. Latini enim non soli, neque Grae-  
 ci tantum rem viuam quasi ita eloquentur, verum crebra  
 facri codicis Vet. Test. librorumque eius praesertim metri-  
 corum lectio me docuit, apud Ebraeos eandem dicendi ele-  
 gantiam in usu quoque fuisse. Omnes norunt, quantae ob-  
 scuritatis multi ebraeam accusauerint linguam, adeo ut fa-  
 mosus ille *Edelmannus*, quem tanta contentione, tamque ef-  
 ferata in dicendo acrimonia, insulsa tamen libidine, scimus  
 religionem christianam impugnasse, ut conuiciis, quibus

A 2

omnes

\*) In dicendi genere, vere sublimi, longe aberrare nostri temporis ho-  
 mines, ab exemplis veterum oratorum, praeter alios, nostraec deicus aca-  
 demiae insigne, meumque dulce praesidium, *S. Venerabilis WEICKH-*  
*MANNVS* docuit in praefatione ad librum, anglico ex idiomate  
 germanice versum: *Philipp Sceltons Predigten*. Idem fere *Quin-*  
*ctilianus* 1. 10, 2, 22, 27. *Id scilicet maxime vitandum est*, ne in ora-  
 tione poetas et historicos, (multo minus forsitan in oratione sacra) imi-  
 tandoz putemus. *Sua cuique proposita lex, suus cuique decor est*. *Nec*  
*comoedia in cothurnos assurgit*. *Imitatio, caueanus, ne sit in verbis tantum*.  
*Illuc intendenda mens est, quantum fuerit illis viris decoris in rebus atque*  
*personis, quod consilium, quae vis probandi! etc.* Salse tales, externorum  
 imitatores nimios, castigauit Werenfelsius: *de meteoris orationis*.

### III DE ELEGANTIA DICTIONIS POETICAE

omnes lacerissit, a nemine, ab omnibus vero sociis lepido dicensi genere venustoque, superatus fuerit, \*) eam furum linguam esse non erubuerit affirmare. Hi sicut in variis, sed lubricis admodum, argumentis enunciationis suae praesidium ponunt, ita et in hoc palladium quaerunt temeritatis pariter atque inscitiae, quod unam eandemque vocem tam varios diuersosque plane admittere significatus clamitent, v.c. קְרַב maledicendi et benedicendi, \*\*) קָא nasi et irae, ut, quis sit verus verborum sensus, inde certo erui non possit. At! nonne hi boni viri pudore suffundantur, si vel intelligent, et secum reputent, apud Latinos, Graecos, alios, eandem usu venire loquendi formulam? Has igitur prius ad discere linguas, nec poetarum veterum carmina negligere se debere sentient, quam de ebraeae linguae difficultate, eiusdemque troporum vario usu iudicium ferre, alto sibi sumant supercilium. Mihi quidem hanc linguae analogiam, poetarumque lectionem, multum attulisse iucunditatis, imo verum sacrorum verborum sensum saepius suppeditasse, cordate fateor. Non igitur est, ut eiici vel proscribi debere e republica atque ciuitate bene constituta putemus poetas cum

Plato-

\*) Ita iudicat CLEMMIVS in der vollständigen Einleitung in die Religion und gesamte Theologie I B. p. 164 ihm hat es an Schimpfen, an und vor sich, noch keiner, in der wichtigen und feinen Art sich auszudrücken, aber alle Freygeister zuvorgethan. De quo iudicio viri diligentissimi persuasus erit, ipse qui scripta euolueret Edelmanni.

\*\*) Ad vocem קְרַב quod attinet, paucis difficultati occurri poterit. Duplicem in hac voce obtinere posse significatum, facilius credes, si tecum reputaueris, generalem ipsi inesse genua fleetendi notionem. Genua fleetebant orientis gentes modo in accessu, non sine centenis votis pro aliorum incolumitate nuncupatis, modo quum discederent, unde Valedicendi potestas existit. Hinc factum est, ut, missa significatione primaria, dictae Benedicendi et Valedicendi notiones obtinere cooperint.

Platone. \*) Flumen enim moris humani, sic vocat Augustinus \*\*) consuetudinem poetas legendi, hoc, inquam, flumen, dummodo ne nostra nimis siccetur aetate, (multi scilicet poetas latinos non legunt, pauciores adhuc graecos!) non raro multa auri ramenta riuorum alluione defert, quibus veritas ornetur, iucunditatemque afferat maiorem. Ex eorum ergo partibus, vel nostrarum commentationum in-dole ductus, stare non possum, qui nullum profanae scientiae usum in explicandis sacris literis, loquendique formulis concedere volunt. Multiplicem potius esse eum, luculententer apparebit, si demonstrauero, eandem elegantiam poetas sacros in designandis affectibus adhibuisse, quam graeci, latini, alii admiserint. Id certe eo minus mirum, quo certius est, affectus naturales esse, unoque se atque eodem modo magnam partem exprimere in corpore humano, cuiuscunque aliquis sit nationis atque populi.

## §. II

**M**edicorum in primis scio interesse, affectuum naturam intelligere, effectusque nosse. Ad horum cognitionem peritiorem quadam coacti feruntur necessitate, quum sedatio eorundem non leue sit conualescendi remedium, sicut vehementia multos morbos excitat augetque. Hinc ab his, vel primis, difficilis huius doctrinae potuit expectari explicatio. Hos sequuntur Ethici, quos non ignoro, pari, licet paulo serius, studio in id incubuisse, ut, quomodo affectus regi possint,

Instituti ratio.

A 3

\*) Quocum consentire viderit, quem Cicero loquentem inducit Tuscul. Quaest. II. c. 11. Recete enim ibi a Platone eductos esse e republica dicir poetas. Digna sunt, quae legantur Ciceronis verba.

\*\*) Confess. I. 1. c. 16. Opp. T. I. p. 56. ex edit. Benedictinorum e congregat. S. Mauri: *Vae tibi flumen moris humani? Quis resistet tibi? Quamdiu non siccaberis? Quousque volues Enae filios in mare magnum atque formidolosum, quod vix transiunt, qui lignum confunderint?*

## VI DE ELEGANTIA DICTIONIS POETICAE

sint, inuestigarent, et quae quantaque afferat damna nimia eorum relaxatio, docerent, quod sane sine totius capitum fusa disciplina fieri haud potuit. Et quid de rhetoribus dicam? qui certe, quoniam res eo reddit, ut oratoriae finem in persuasione, concitandis partim, partim leniendis affectibus, possumus esse videamus, hunc agrum incultum relinquere non debuerunt. Sine concitatione nimirum et compositione eorum caetera in oratione, nuda, iejuna, infirma, ingrata sunt, et spiritus velut operis atque animus in affectibus est, teste Quintiliano, *Instit. Orat. I.5. c. 2. n.7.* Imo affectuum notitia vnicuique quam maxime utilis est. Agatur nimirum de praeteritis hominum aetibus, agatur de futuris, affectus nosse, eorundemque signa perspecta habere, perquam iucundum, perquam commodum est, quum ab iis omnes fere omnium actus profiscuntur, et, qualis cuiusque animi affectus est, talis est homo, ut bene monet *Cicero Tusc. Qu. V. 47. c.16.* Non potuit igitur fieri, quin affectuum natura a variis exacte pertractaretur. \*) Proverbium vero et hic locum habet: duo quum faciunt idem, non est idem. Vario scilicet modo, varioque consilio, hanc causam egerunt, ob varium, quem sibi propositum habuerunt, finem. Licet ergo, multitudinem illorum, qui circa affectus indagando occupati fuere, virtutemque virorum, hac in re principum, si spectaueris, pauca modo restare videantur, quae dicenda sint, nec campus dignus, in quem de nouo descendatur; ii tamen, qui rem curatius ponderabunt, facile cognoscent, largam adhuc restaurare messem, praesertim quum saepe, ne in praecipuis quidem, quod

---

\*) Vir celeberrimus, LESSIVS, quum, anno amplius, munus Doctoris Theologi in academia Gottingensi publici capesseret, orationem habuit: *De commodis, ex curatori affectuum sensuumque humanorum notitia ad theologiam praeferitum mores spectantem, redundantibas, ad eamque sibi viam pandit programmata, quod quaestionem soluit: quantum interfit humanae mentis affectus nosse.* Posterior libellus ad meas manus nondum peruenit, prior, ne scio quidem, an lucem viderit.

quod ad affectus spectat, inter se consentiant eruditii. Quae-dam ergo et hic de affectibus, quantum scilicet ad rem meam pertinet, pro commentandi ratione attulisse ac dijudicasse iu-uabit, orationique sensim immiscuisse. Quid affectus ergo sint, breuibus dicam: eorum vehementiam describam: scri-ptores, qui eos vel ipsi definierunt, vel expresserunt elegan-tius, protraham: in quo membro corporis humani conspi-ciantur, partim experientia edoctus, poetarum partim testi-monii suffultus, enarrabo: tandem vero, quod praecipue re-mea est, num membra ea affectuum loco posita fuerint simpli-citer, inuestigabo. Neque tamē loca scriptorum vel poetarum colligam; hoc enim vel glossaria conficientium putauit, vel plane superuacaneum, et, si qua in iis colligendis eruditionis species est, ea certe praecipua, si cauemus, ut ne eruditionem affectare videamur. Verum, et quod maximum est, e con-texta verborum serie demonstrabo, voluisse poetam his ver-bis eiusmodi affectum indicare, ubi de elegantia locutionis istius plura. Idem vero, ut dixi, apud Ebraeos reperi. In praecipiis ergo S. S. locis, quae huc spectant, haerebo, ut, si eorum tractationis ambitum spectaueris, caerera tibi forsitan in transitu, ad analogiam linguarum modo testificandam, elegantiamque dictionis ebraeae vindicandam, dicta videri possint. Quae clara sunt, atque perspicua, quod certe in membris prioribus ita se habebit, breuiter indicabo. Quae-dam vero simul quum posthac occurrent, quae Criticorum cruces merito appellaueris, et, quid hic sim conaturus, expe-riare. In illud nimirum tempus aetas nostra incidit, quo pro lubitu ebraeum codicem mutare solent, dicunt vero emendare, qui splendido Criticorum exornari cupiunt titulo. Interpretes vero atque commentatores profanorum scripto-rum optimi, vel in istis aliquid mutare erubescunt, nisi id in re manifesta, cum veterum dicta sic citantium consensu, at-que codicum satis probatorum sit suffragio. A lectione igit-ur S. literarum vulgari, codicumque probatissimorum, ad-huc cognitorum, autoritate suffulta recedere, multo magis mi-hi

## VIII DE ELEGANTIA DICTIONIS POETICAE

hi duxi religioni, eiusdem potius lectionis fidem, non semel  
testimoniis profanorum, eundem, cui fides derogatur, tropum  
usurpantium, stabilire conabor. Quodsi accidit, ut nonnulla  
loca occurrant, quae e lectione nostra primo obtutu commo-  
dum non praebent sensum, ea certe maiori tractari debere  
diligentia credo. Nec tamen omnia, quae dici poterunt, hic  
in unam fere compagem, quod plerumque accidit, cogam,  
ea potius attingere, fusius saltem tractare, penitus nolo, quae  
ad fidem verbis faciendam nihil conducunt. Restat, ut ab  
unica, in quam incurrire possim, me adhuc liberem iniuria.  
Elegantiam scilicet dictionis poeticae, quae in membris cor-  
poris humani, affectuum loco positis, occurrit, delineabo, ni-  
hilo tamen secius virtutum aliarumque rerum rationem si-  
mul habebo. Nolis ergo cogitare, haec omnia me ad affe-  
ctus referre, canonem potius philosophicum etiam hic velim  
in memoriam reuoces, et a potiori hic fieri denominationem  
putes. Possum tamen et hac ratione iam me purgare, quod  
ipse *Io. Bapt. Hamelius*, ut taceam alios, virtutum nomina affe-  
ctibus immiscuerit, nec omni carere haec methodus funda-  
mento videatur. Sunt nimirum affectuum, ut *Quinctilianus* l. 6, 2. notauit, antiquitusque traditum dicit, duae species,  
alteram graeci πάθος vocant, quam latini vertentes recte ac  
proprie affectum dicunt, alteram άρσην, cuius nomine, ut ipse  
iudicat, sermo romanus caret; mores appellantur. Affectus  
ergo illos concitatos, hos mites et compositos, esse dixerunt,  
in altero leniter, in altero vehementer, commotum esse ani-  
mum iudicarunt. Hac notione generali me mores quoque  
velle comprehendere scito.

### §. III

*Rerum dicen-  
darum ordo  
atque ampli-  
tudo.*

**A**ffectuum indagatores varium in pertractandis ipsis non  
modo obseruant ordinem, verum in eo quoque, quot  
genera constituenda sint, dissentunt. Quo facilorem me  
veniam impetraturum, spero, si in persequendis affectibus  
fuero liberius versatus. Intellexi, si singulorum affectuum  
ratio-



rationem habere vellem, unius eiusdemque membra humani  
faepius fieri mentionem, quum vel plura unus regat mem-  
bra. Ipsorum in corpore humano membrorum colligatio  
faciliorem praebuit dicendi ordinem, licet et in hoc omnem  
eiusdem affectus repetitionem euitare non valuerim; cui rei  
aequus lector facile ignoscet. Omnibus nota est corporis  
diuisio, quae apud Medicos in usu est. Hi tribus cavitati-  
bus absolu*i* dicunt omne corpus, *Capite* scilicet, *Thorace*; at-  
que *Abdomine*. In unaquaque parte quaedam inueniuntur  
membra, quae affectibus sacra sunt, et, quae affectuum loco  
posita esse credo. Hanc diuisionem meam facio, eamque eo  
lubentius sequor, quo accommodatiorem ipsi corporis huma-  
ni structurae perspexi, atque ueroiorem, quae non nisi ab eo,  
qui sui ipsius plane ignarus sit, reiici possit. In tres ergo se-  
ctiones omne scriptum diuidam; In prima de Capite, specia-  
tim fronde, facie, supercilio, oculis, nafo, ore, caeteris, com-  
mentabor; Secunda de corde et iecore praeter alia aget;  
Tertia stomachum et reliqua viscera, genua item et ossa con-  
siderabit. Primae sectionis specimen aliquod generale tibi  
iam sisto. Rerum, quae dissertationibus hisce inerunt, capi-  
tibus sic uniuersitate expositis, ut statim quid quaeri, quidue in-  
ueniri possit, declaratum simul fuerit, addam, necesse est, to-  
tam rem non debere ex hac, quam, ob certas rationes arctio-  
ribus limitibus obductam, communico tecum, commentatio-  
ne diiudicari. Tam amplius insuper hic campus est, ut,  
quum in eo oratio maxime possit exultare, in unius scripti  
academici angustias comprimi haud potuerit. Quodsi res  
ex sententia succederit, lectorique ea fese commendauerit,  
proximis fere mensibus reliquae prostabunt partes. Si quid  
a me fuerit prolatum, quod veritati minus respondeat, facile  
redargui me refellique patiar. Noui quidem, esse huiusmo-  
di homines, qui, si fuerint etiam blande reprehensi, iniquo  
ferunt animo, qui, ut cum Cicerone loquar, *Tusc. Qu. II. 2.3.*  
certis quibusdam destinatisque sententiis addicti atque con-  
secrati sunt, eaque necessitate constricti, ut etiam, quae non

soleant probare, ea cogantur constantiae causa defendere. His hominibus pertinacioribus nolo annumerari. Veritatis amans cum ipso ultra id, quod verum, verosimile saltem occurrerit, progredi non studeo, et refellere sine pertinacia, refelli sine iracundia cupio. Nullus insuper dubito, quin operae pretium fecerim. Quod eo confidentius mihi persuadeo, quo magis laudatus, qui Gottingam ornat, Theologus venerabilis optauit, ut in hanc arenam aliquis descendere velit. Noui quidem neminem, qui hoc negotium totum sit exsecutus, imo ne id quidem qui prosequi fuerit conatus. Quamquam enim apud varios varia, quae huc spectant, reperiunda sunt praeclera, id tamen vel alia methodo, vel sparsim, vel ita sit, ut partes tantum quaedam sint feliciter elaboratae. Ipsa tamen rei grauitas tractationem eiusdem minus plenam, nec omnino absolutam excusabit, apud eos praeferunt, qui norint, quantae amplitudinis sit, in quem expatrior, campus, quantae difficultatis, quantique laboris, hominum inuestigare recessus. Affectus enim qui mouere tentat, sicut prius affectus sit, necesse est, Quinctiliano monente, ita etiam, qui de iis scribere sibi sumit. Plurima modo in Commendationibus nostris niteant, paucis benevolus non offendetur lector maculis, quas, ut Horatius de arte poetica v. 352. coll. 347. canit: *Aut incuria fundit,*

*Aut humana parum cauet natura. Neque ex eodem ali regerant:*  
*Sunt delicta tamen, quibus ignouisse velimus.*

SECTIONIS PRIMAE  
DE CAPITE  
MEMBRVM PRIMVM  
DE CAPITE GENERATIM

§. I

*Ab affectibus differunt affectiones. Confli-*  
**A**ffectus in genere quid sint, paucis dispiciendum est. Pro more igitur amoreque nostro in veteres ante omnia videamus, quid de illis illi? Docemur primo, differre affectus

*affectuum definiti-*  
*na.*

ctus ab affectionibus, apud Latinos. Idque eo studiosius teneamus, quo plures sunt, qui contra dicant, et quo maior obscuritas inde oritur, si modo late, modo stricte, vox sumatur. Occurrunt omnino loca quaedam apud Ciceronem atque Senecam, quae nobis persuadere possint, has esse voices, unam eandemque rem denotantes. Quis insuper ignorat, perhibere Gellium, Noct. Att. I. fin. Latinos τὰ πάθη Graecorum per Affectiones aequae ac Affectus enunciare solere, nihil tamen feciū causae suppetunt non leues, ut credam, voces has differre inter se, multoque latius patere notionem Affectionum, quam Affectuum, quod clarius e definitionibus, e Cicerone suppeditandis, elucebit. Affectionem scilicet de Inuent. I. n. 36. vocat *animi, aut corporis ex tempore, aliqua de causa, mutationem.* Non displicet penitus haec oratoria magis quam philosophica definitio. Praecise satis loquitur morum ille praceptor, et ita, ut in affectus omnia quadrare videantur. Indicat nimirum affectuum sedem, animum, addit, in quo consistant, mutatione illius, nec causas silet, et effectus in corpore, qui nonnunquam accidunt. Haec bona satis, imo meliora, quam a recentioribus nonnullis proferuntur. Onerant hi definitionem diuisione, qua supercedere facili possint negotio. Nominant commotiones ex appetitu vel auersatione ortas. Melius Cicero eam omittit. Dicit: aliqua de causa, de quanam? non curat; ea demum sit iucunda, atque suavis, ut amor et gaudium inde, aliisque, qui ex iis fluunt affectus, oriuntur, sive sit aduersa, ut taedium odiumque inde trahat originem, atque reliqui sequantur, nihil interest. Haec omnia affectibus tribuenda sunt. Eodem ergo, inquis, pertinent, quo affectiones? At, salua res est! Mentionem Cicero facit corporis, de mutationibus enim loquitur animi aut corporis, ideoque aperte confitetur, longe latiorem esse notionem affectionum, quam affectuum. Omnes affectus sunt affectiones, non contra. Bene ac sapienter corpori tribues affectiones, e. c. morbum atque debilitatem, affectus autem non ita. Neque obiciat quisquam, corpus sigillatim nominare Ciceronem,

## XII DE ELEGANTIA DICTIONIS POETICAE

nem, quoniam in affectibus plerisque, pro potestate, quam in corpus habet anima, intimaque inter utramque partem conjunctione, corpus etiam moueat, et de internis cogitatis saepe non fallax prodat testimonium. Morbum enim atque debilitatem ad species affectionum refert, quae num affectibus, proprie dictis, commode annumerari possint, ipse iudicabis. Quid quod Tusculanae Quæstiones, quae sedem fere omnis tractationis de affectibus constituunt, prolata in clariore adhuc collocant luce. Vocatur ibi I. 4. c. 13. vitiositas constans in tota vita affectio, et iterum eodem loco vitia affectiones manentes, easdemque ab affectibus, tanquam commotionibus transfeuntibus atque mouentibus, separatas dicit. Latius igitur patere affectiones constat, et ab affectibus, stricte sic dictis, differre, vel, si mauis, dicas, duplicum esse affectuum notionem, unam strictiorem, de qua hic in primis sermo est, latiorem alteram, quae affectionum nomine veniat. Si quando affectibus immiscuerim affectiones, eum id male non habebit, qui in mentem, quae circa finem proleg. §. 2. dicta fuerit, reuocabit.

### §. II

*Affectus, quid  
fin? ex qui eu-  
rum gradus?*

Perspecta ergo definitione affectionum, ad affectus propriæ dictos, transeo. Idem suppeditat, in quo consistant, Cicero, loco, quem citavi, classico, Tusc. Qu. I. 3. ubi de iis accurate et ex instituto præcipit. *Affectus*, inquit, sunt motus animi concitati, rationi non obtemperantes. Quæ quam bene dicta sint, uberioris paulo dicam, indeque potiores partes depromam, parum curans, alii quomodo eos descripsérint, idem quippe aliis vocibus annuentes. Omnia certe, quæ récentiores dixerunt, paucis hic complectitur Cicero. Sunt affectiones non commotiones ordinariae, verum quam maxime extraordinariae, atque vehementes. Dicit ergo motus animi concitatos. Neque deber haec additio negligi, licet vehementior sit unus altero. Crescit affectus per suos gradus. Debilis in primo atque lenis, in summo gradu vehementissimus. Non hic tantum, sed ille quoque affectum constituit.

tuit. Iure hic primo loco consideranda est generalis illa animi constitutio, ad rem, quae tibi se listit, et ad quam animus, bona si videtur esse, inclinatur, quam, si mala, auersatur. Hinc *Inclinationis* nomine venit. Hanc si homini naturalem, minimeque vituperandam, vocauerimus, eo minus a veritate aberrabimus, quo certius est, bonum semper appetere voluntatem, a malo abhorrire, nec ullum extitisse hominem, qui instinctum non habuerit felicitatis, quae bono prouochitur, malo impeditur. Quem certe appetitum naturalem boni, qui initium, seu primus affectuum gradus est, nemo philosophorum improbat. Attamen, quam confuse, bone Deus! homo res animo complectitur, apparentes ut veras, veras ut falsas, noxias ut utiles. Ex representatione autem omnis in rem nisus oritur. Affectus audimus esse commotiones animi vehementes, ex appetitu sensituo ortas. Elegantius, qui latinitatis amore tenetur, cum hoc Latii decore dicet: rationi non obtemperantes. Speculo quasi utitur homo, eoque fallaci, quod res modo, sicut apparent, ante oculos proponit. Quae quum nihilosecius approbantur, gradus alter, *Consensus* existit, quem certe homo non adderet, omnia si distincte semper perspicere studiose quaereret. Recta enim ratio eum suspendit. Verum appetitus praecurrit mentem, ratio interim exulat. Accedit tandem tertius, homo quo vult, iubet, imperat, quo monita, praecepta, praemia omnia, quo grauissimas etiam poenas susque deque habet, quo, quae contra dicuntur, omnia imprudenter spernit, quo, summo impetu, summo saepius stupore, in rem obtainendam fertur. Vider meliora probatque, deteriora sequitur. *Impetus* unde audit. Atque hunc gradum tertium Cicero maxime spectat, e disciplina Stoica, quando negat, affectus rationi obtemperare. Quapropter Ciceronis definitio sic concipienda erit, omnes si gradus affectuum comprehendere debeat: affectus sunt motus animi concitati, qui rationem non sequuntur. Fusius paulo, quam necessarium videri possit, hos gradus enumeraui. Habeo huius rei rationes, quas accipe. Diuersitas vehementiae in diuersis

#### XIII DE ELEGANTIA DICTIONIS POETICAE

uersis affectibus inde melius perspici, et lis de affectuum proscriptione omnimoda, vel, ut aiunt, eradicatione, eo facilius dirimi potest, de qua posteriore forsan alibi copiosius. Sequentibus tandem haec tractatio inferuit. Paucis hic modo id non silendum, Stoicos olim, dum omnem affectum repudiariunt, extirpandumque ex homine dixerunt, varios, circa hos gradus, nec exiguos admisisse errores, a Fanaticis, singulare pietatis colore approbatos, quamuis multa de gradibus his praecipient frugifera, ab Salmasio copiosius in Epictetum et Simplicium tractata, p. 25. seq. Hi in uniuersum omnes, missis gradibus prioribus, tertium demum attenderunt, quod uel ex eo patet, quod affectum per ἐρωτήσειν explicauerint, et vocem πλεονάζουσαν addiderint, quod dubium non est, quin de tertio demum gradu dici possit. Noli iam illos ex somno excitare, qui de diuina ἀπαθείᾳ, antiquo illo somnio, mira somnianrunt. De hac enim controuersia, num ex eadem graduum confusione originem trahat, nec ne, infra erit dicendi locus.

#### S. III

*Quo vehementius affectus, eo plura extant signa in corpore.*

**D**iffert ergo unus idemque affectus graduum vehementia. Differunt et inter se quam maxime, ut unus altero sit multo vehementior. Cogitemus commiserationem erga amicum, inimicorum iniuria pressum, quartaque quasi luna natum. Vehementius commouemur aspicientes, vel audientes ipsum, quam si alium quemque, hominem insuper nobis inimicum, imo dissolutum, cuius mores praui non poterant non hancce fingere fortunam, miseria laborantem, videmus. Tristitia videlicet huius quidem nos afficit calamitas. Homines enim sumus, aliisque faciendum esse putamus, quod nobis, ut fiat, precamur: dolemus fortunam, optamus sincere, ut malum recedat, cuius ipse autor est, nostra quoque ipsi damus con filia, caetera. At! quanto moerore premitur animus, ubi cernimus, nos illi, amicissimo nobis homini, auxilio esse non posse! quantis ille signis proditur tristitiae! Lacrymas ipsi effundimus, oculi, languoris testes, humum intuentur, facies tandem

tandem tota pallescit, et, quae sunt reliqua summi in amicum amoris, summae de calamitate ipsius indigna tristitia, criteria. Prostant in historia, tum sacra, tum profana, luculenta huius rei exempla, quorum attulisse quaedam satis quidem iucundum, a scopo autem meo alienum foret. Experientia insuper me excusat quotidiana. Eadem ergo atque una causa est, quae animum compellit, contristatio nempe ex calamitate alterius orta, diuersi tamen enascuntur euentus. Oinne id, de quo dixi, superat odium, vehemenrissimus ille affectus, in iram si excandescit, multoque plura atque significantiora edit signa. In caeteris aliquid inest quieti placidique, hic vero concitatus est totus. Tunc labia quatuntur, horrent tunc ac subriguntur capilli, \*) spiritus coactus, ac stridens articulorum, se ipsos torquentium, sonus, tunc complosae facie manus, pulsataque pedibus humus, et totum concitum corpus, magnasque agens minas, foeda visu et horrenda facies. Tot enim, fingo iam rem, tantorumque in hominem, amicum antea, collatorum beneficiorum recordatio, ingratissimique animi cogitatio, tantopere mentem percellit, atque excoecat, ut ipsis nobis non constemus, omnis imago hominis fere abiiciatur, per rabiem istam in bestiam transformatur, imo omnis humana exuatur natura, adeo, ut illi vel tristissimam mortem inferre, putemus non esse penitus indignum laude. E vehementiore igitur animi commotione maiorem quoque corporis oriri patet mutationem. Quaelibet scilicet animi affectio concitata cum vehementer sanguinis fluxu, fluidique neruei commotione extraordinaria, ita coniuncta est in corpore humano, ut partim sanguis a corde recedat, in affectibus gratis, partim vero in ingratis ad ipsum redeat, non sine multiplice utilitate, singularique Dei prouidentia. Hoc certe tenendum est, pro diuersitate affectuum diuersam quoque

---

\*) Nolo e Seneca omnem irascentium habitum, quem l. r. *de ira* egregie delineat, repetere, alibi quum de ea sermo futurus est, pauca modo affero.

XVI DE ELEGANTIA DICTIONIS POETICAE

quoque in corpore esse mutationem, diuersosque gestus, ut, qui dominetur, loquor autem non de eo, quod raro et extraordinarie, sed naturaliter, saepius et ordinarie fit, non difficile sit perspicere; in quo praecipue diligentem se praebuit indagatorem affectuum Claramontius *de conjectandis hominum moribus*, quem libellum opus sane noui argumenti atque incomparabile vocare non erubuit Herrm. Conringius; cuius scilicet cura recensitum prodiit Lugd. 1704.

§. IIII

Eaque in pri-  
mis in Capite.

**C**aput hominis praecipua pars corporis est, quae et multum cum animo habet commercii, et singularem cum corde familiaritatem. Totius animantis in eo regimen est, et sensus \*) atque nerui in id redeunt, vel hic initium capiunt.\*\*) Mirum igitur non est, quod praecipue hic per nimium sanguinis aestum plurima se prodant affectuum signa, mutatioque tanta sit saepe in capite, quanta in animo. Illud tacebo, caput loco positum esse excellenti, et in oculos spectatoris quam maxime incurrere, reliquo corpore maximam partem latente. Plurimi ergo, si non omnes, in capite exprimuntur affectus, grati atque ingrati, primarii et secundarii, veheientes atque minus veheientes, licet alio plerumque atque alio modo. Nemo igitur mirabitur, quod poetae, qui elegantiam in eo ponunt minime spernendam, ut membra corporis pro affectibus usurpent, in formulis, quae ad Caput attinent, ingenio suo non ita exultent. Non destituuntur ratione. Caput enim omne illud complectitur, quod collo impositum videmus. Nimis ampla igitur pars est, nec commode, quod omnium index fere atque sedes affectuum est, unius vel alterius loco poni potest sine summae pericu-

\*) Hinc a Gregorio Nazianzeno τὸ τῶν αἰθητηγίων ἐργασίγιον vocatur.

\*\*) Ut nomen quoque suum inde tulisse Caput, Varro ad Ciceronem scribat, Lactantio narrante de Opif. D. c. 5. n. 6.

periculo obscuritatis. Simpliciter ergo, quod scio, sicut in aliis membris alibi videbimus, nusquam affectus loco ponitur, quamvis ambabus dem, per metaphoram caeterosque tropos, pro variis rebus saepissime ponit. Attamen varie, quod dixi, in Capite se exprimunt affectus. Varios efficiunt capitum gestus et motus, additisque his limitibus affectus omnino indicantur, indeque singularis, vel hoc signo pro re signata posito, oritur elegantia. Quaedam igitur hic de totius capitum gestibus, affectuum indicibus, praecipiam, ne singulas capitum partes post tractaturus, totum illud neglexisse videar.

## §. V

**G**estus quantum in Oratore momenti habeant, rei per tractandae atque voci si accommodentur, non opus est, *Variis capitum gestus pro variis ponuntur affectibus.* ut pluribus commenoretur. Omnes, qui de arte Oratoria scriptum reliquerunt, id satis cognitum habuere, ideoque singularia de iis dederunt pracepta. Praeter caeteros Petr. Francius: *de eloquentia exteriore*, utilissima quaeque collegit, e veterum praeferit monumentis, qui hic quoque eminent. Aristoteles atque Quintilianus in primis in censum veniunt, quorum posterior de legibus eorum concinnandis eo magis sollicitus fuit, quo confidentius lib. cit. VI. 1, 4. sibi persuasit, non ex facto modo et dicto, h.e. rei grauitate, vocisque urbanitate, sed uultu, habitu, atque aspectu moueri solere auditores. Idem ille XI. 3, 69. contendit, praecipuum, ut in toto corpore, ita et in actione, caput esse. Varias deinde enumerat rationes, quibus fieri possit, ut quemadmodum vox et sonus in oratione varie pro rerum modo adhibeantur, et grandia elate, iucunda dulciter, moderata leniter canantur, ita caput cum gestibus caeteris, voce atque affectibus consentiat. Tandem n. 71. addit, praeter annuendi, renuendi, confirmandi motus, inesse ipsis et verecundiae, et dubitationis, et admiracionis, et indignationis motus, notos satis, omnibusque communies. Dinumerat ergo varios capitum gestus, variarum rerum indices. Quorum tamen nonnullorum tractatione eo maiori C iure

## XVIII DE ELEGANTIA DICTIONIS POETICAE

iure supersedere possumus, quo coimmuniores atque magis noti a *Quinctiliano* nominantur. Quem e.g. fugit illud Homeri: *κεΦαλῆ κατανίνειν*, quod vel toties de Iouis ipsius nutu consensuque simplici non tantum adhibitum legimus, sed de confirmatione etiam nonnunquam usurpatum, promissioque sanctissimo, cui fides habenda sit, quod vel probatissimum sit inter iminortales eertitudinis testimonium, quod neque per leuitatem, neque per fraudem, neque per impotentiam, fiat irritum, ut recte intelligunt Eustathius, aliique, Clarkio obseruante: *εἰ δ' ἄγε,* quodsi non credis: sic rata habiturum promittit Iupiter vota Thetidis, pro honore fortunaque filii nuncupata; Iliad. l. 524.

'Ει δ' ἄγε, τοὶ κεΦαλῆ κατανέυσομα, ὁΦρα πεποιθης,  
τοῦτο γάρ εἴξ ἐμέθεν γε μετ' αθανάτουσιν μέγιστον  
τέκμωρ· οὐ γάρ ἐμὸν παλινάγγετον, οὐδὲ ἀπατηλόν,  
οὐδὲ ἀτελέυτητον γ', οὐ, τι κεν κεΦαλῆ κατανέυσω.  
•Η· καὶ κατανέψοιν ἐπ' ὁΦρύσι νεῦσε \*) Κρονίων.

Sed missa haec facio, hoc uno obseruato, quod scilicet hanc notionem merito poeticam putare possis. Spernunt eam plerique prosaici. Abstinet ab ea simplex N. T. stilus, ubi in plerisque locis haec vox cum deriuatis annuendi, in paucis consentiendi, et ὅντις επινένειν dissentendi, potestatem retinet. Promittendi notio meo quidem iudicio non occurrit. Ea ad affectus proprius spectare videntur, quae *Quinctilianus l.c. in transitu monet*, ubi quid deiectum, quid supinum, quid in latus inclinatum, quid praedurum ac rigens sit caput, ostendit. Affectuum signa igitur ex his gestibus depromam, et de *Operatura atque Depressione, Apertione et Elatione*, nec non *Motione*

\*) De primitiuae vocis νέυω usu, in affectu pudoris indicando, suo loco dicam, ubi de Vultu et Facie praecipiam, affectuum indicibus, ex occasione loci cuiusdam Herodiani.

sione nonnulla dicam. Certius est, ire per singula. De operatura primum. \*)

## §. VI

**V**ariis de causis homines se operiunt, nec ineleganter caput operatum usurpant poetae ad affectus indicando. Caput operatum pudoris loco ponitur apud Latinos. Nolo eorum mentionem facere, qui caput operiunt, fallere ut possint alios, vel summo periculum euitare studio, quoniam ad nos non pertinent. Eos in scenam protraham, qui lucem fugiunt atque oderunt, latebrasque quaerunt, pudoris causa, nec non caput operiunt. Pudoris nimirum nos statim certiores facit definitio, capitum operatum, lucisque fugam necessarias esse consecutiones, luculentaque ipsius testimonia, ut vel poetae naturam pudoris ne pulchrius quidem describere potuissent, quam tegumento capitis, pudoris loco positio. Pudor nimirum differt a poenitentia, nec semper cum illa coniunctus est, siquidem non tam raeium est ob malam actionem perpetrata, quam ob notitiam, quam alii de eiusmodi actione habent. Actiones num cum lege conueniant, nec ne, multi nonnunquam parum curant. Bonae modo videantur esse. Occultare igitur malas quam maxime student, ut ne de existimatione detrahatur aliquid. De nobis enim nostrisque perfectionibus bene sentire alios ut cupiamus, a natura fere nobis datum est, et quisque cupid; quod, actiones malae aliis si innotuerint, non obtinebimus. Saluo potius demum pudore quam salua maneat fama, ut e proverbio constat, i. e. quam tam diu demum bene audiamus, quamdiu nihil, cuius nos pudere possit, admiserimus, male non possunt non de nobis alii sentire. Vox ergo tunc existit perturbata! tunc lacrymae fiunt! Exemplo sit Pamphila, miri apud Terentium decoris virgo, Thaidi a milite dono data.

C 2

data.

\*) De ritu veterum caput operiendi plura qui legere cupit, euoluat Ferrarium: de re vestiaria veterum, Barthium ad Claudianum, Freinsheimum ad Curtium, aliasque multos.

XX DE ELEGANTIA DICTIONIS POÉTICAE

data. Hanc a Chaerea, qui tanquam eunuchus ad illam deductus fuerat, vim passam denuntiat Pythias Phaedriae, ipsique rem admiranti detestantique nefandam, ac haerenti, vera sint relata nec ne, respondet: *Virgo ipsa lacrumat, neque, quum rogites, quid sit, audet dicere.* Act. 4. sc. 3. Eunuch.

Lacrymas, vocemque impeditam sequitur fuga praesentium. Pudore scilicet dignum rubicundo scelus qui perpetravit, omnibus fere cognitum, non potest non credere, suam vel praesentiam illud in mentes omnium esse reuocaturam, summum inde effecturum contemptum, omniumque sermones ab ipsa petitum iri. Hanc idearum consociationem studet impedire, praesentiam aliorum evitando, tenebrasque amando atque solitudinem. Vnde pedem proferre pudor vetat. Sic Achilles in Iliade I. v. 349. sq. a sociis seiunctus, statim sedet, quum puella ipsi raperetur, atque ad littus maris inspicit pontum, quod, sicut matri queritur, Agamemnon ipsum contumelia affecerat, praemio virtutis spoliatum:

*Αχιλλεύς*

*Δακρύσας, ἐτάρων ἀΦαρ ἔζετο νόσφι λιαθεῖς,  
Θιν' ἐφ ἀλὸς πολιῆς, ὅρών ἐπὶ σινοπα πόντου.*

At mundum deserant, hominum qui refugiunt societatem, necesse est, quippe quorum praesentiam neque evitare semper possunt, neque ipsa prorsus carere. Fit ergo, ut caput operiant, quotiescumque lucem vident, vel rem, pudore dignam, patrant, putantes, ipsi quum non videant alios, ab aliis se non animaduerti. Hinc eleganter Horatius Sat. II. 3. Damasippum, cum ipso colloquium instituentem, inducit, illaque pudoris signum tribuendo, quo sit affectus animo, demonstrat. Hunc, dignitate senatoria celebrem, ad mercatulae studia atque negotia deflexisse scimus. Mores eiusmodi non raro sequitur paupertas, quod sentiunt, qui artem, quam non intelligunt, excent. Perditis ergo facultatibus, omnia quum ad medium Ianum fracta esse videret, aliena curare, barba-

barbatusque magister, sic vocabantur olim ob habitum negligentem barbamque longam philosophi, \*) fieri incipit. Timens enim, ne insanus existimetur ab omnibus, in flumen de ponte, quo urbi iunxerat insulam Tiberinam Fabricius, praecipitem se dare constituit. Res iam in eo est, sicut ipse fatetur cordate, ut perficiatur, ex improviso machinaque quem Stertinius accedens, et mentem leniens, de omnibus desperantem, consiliis, omne impedit facinus. Reim turpem sane, quam quis peracturus, merito suffundendus est pudore! Prodit hunc affectum, ut cacteri, quos manus

\*) Vix, Luciani dialogum mortuorum X. lecturus, risum tenebis. Charon ibi, timens, ne multis onusta sarcinis, scaphula sit interitura, Mercurio munus imposuisse dicitur, curam gerendi, ne quis, nisi nudus, nauim descendat. Varii nauiculam ingrediuntur. Tandem Mercurius: ille vero seuerus, inquit, de habitu quidem, fastumque praeferens, superciliis arrectis, in meditando defixus quis est? iste, qui prolixam demisit barbam? philosophus aliquis. Depone ergo et tu habitum primum. Tum ista omnia. Iupiter! quam inanem ostentationem gerit, quantam inscitiam, et rixandi libidinem, et vanam gloriam, quaestiones impeditas, disputationes spinosas, sententias perplexe inuolutas, — impudentiam, iram, luxum et mollietatem; neque enim me fallunt, quantumcunque studiose praeeregis ea. Tum porro mendacium depone, atque inflatam arrogantiā, eamque de te opinionem, quasi melior sis aliis: etenim, si cum ipsis omnibus descendendas, quae te quinquaginta remorum nauis accipiat? Remoue etiam barbam istam, grauem sane et hirtam: quinque minas pilii minimum pendunt. T. I. Opp. Luciani p. 369, sq. ex nitidissima, Hemsterhusii Reiziique editione, quae Westenii sumtibus lucem vidit Amstelod. 1743. Tomis III. Stultitiam ergo et suam Damascippus, amici precibus vicius, pallio tegendi philosophico capit consilium, quod certe, nimiam Charontis Mercuriique inhumanitatem si nouisset, nunquam fecisset, lubenter potius de ponte praecipitem se dedisset, a Charonte comiter exceptus, cuius nauim non nimis onerasset, bonis quippe profusis omnibus.

XXII DE ELEGANTIA DICTIONIS POETICAE

nus intulisse sibi legimus, Damasippus capite obuoluto. Sic enim ipse de se: v. 37.

*-- Male re gesta quum vellem mittere operto  
Me capite in fumen, dexter stetit Stertinus.*

Omnium, inquis, rerum profusio, res ad incitas redactas Damasippum in desperationem duxerunt, nec pudori tribuenda sunt, quae desperationem consequuntur! Est ita. Noli tamen comotiones animi penitus dissociare, saepe coniunctas, Nam si pudori nimis indulseris, hic in desperationem vertitur. Caput saltem opertum pudoris indicium esse, ipsa testantur, quibus solatus est hominem insatum, Stertinii verba. Quippe qui melius sciuit, quid causae insit, admonetque Damalippum, ut caueat sibi, ne patret aliquid, viro senatorio minime dignum, improbam scilicet esse, qua sit affectus, quamque significet capite operto, verecundiam: *Cave, faxis*

*Te quicquam indignum, pudor, inquit, te malus urget,  
Insanos qui inter vereare insanus haberit.*

Iungo Horatio Petronium, ut apud prosaicos eandem nonnunquam occurrere elegantiam constet. Encolpius ibi,<sup>\*)</sup> iuuenis honestus, satisque hac in causa verecundus, praeter spem, opinionem, voluntatem, a vetula quadam deceptus, Ascylton persequi quum coepit, nec, quam teneat viam, attendit satius, medios inter titulos, medias inter meretrices, easdemque nudas, se in fornicem deductum agnoscit. Dignam honesto viro rem peragit. Exsecratus aniculae insidias, operit caput, mediumque per lupanar effugit. Duplex capitis obtecti ratio esse videtur: Altera, ut caueat sibi a voluptate,

Vlyssis-

---

<sup>\*)</sup> Male haec omnia tribuuntur Ascylto, a Taubmanno ad Curt. IIII. aliisque, quod certe eo magis miror, quo clarioribus Encolpius ab ipso verbis distinguitur.

Vlyssisque mores pie imitetur laudabiles, quem, oram Siciliae praeter nauigantem maritimam, aures legimus obturasse cera, cantu Sirenum ne caperetur dulcissimo, blanditiisque ipsarum vitae exponeretur periculo; altera, ut pudori consulat, pudorisque signum praebeat. Sapienter ergo Petronius silet affectum, nec dicit: quae quum videret, pudore rei ipsum coepit, sed criterium pudoris assert *modeste: operuit caput* Encolpius. Pudorem his locis omnibus debe-re subintelligi, actiones suadent contrariae, et *caput apertum*, quod indicio esse voluerunt scriptores prosae poetaeque, hominis, omnem pudorem abiicientis, in re praefertiin turpi, qua se implicitum videbat ille Petronianus. Ita enim Ergasilus parasitus apud Plautum Captiu. Act. 3. sc. 1. v. 15. de iuvenibus, famam atque verecundiam post avaritiam habentibus, queritur:

*Ipsi de foro tam aperto capite ad lenones eunt,  
quam in tribu aperto capite fontes condemnant reos.*

Turpia sunt haecce loca. Quae qui non refugit, nec saltem caput operit, et erubescit, omnem pudorem, omnem famam, omnem honestatem abnegasse, omnem hominis naturam exuisse putandus est. Pudor praeter alia est, qui omni frenos iniicit malitia, ipso consumto, quid loquuntur homines, aut faciant, parum pensi habent, cupitis dummodo potiantur. Satis est de Latinis.

### §. VII

**G**raecis num iidem fuerunt mores? quidni. Totus hoc comprobare videtur virginum despontatarum caput ve-landi ritus. Praeter metum enim pudor praecipua est illa commotio, qua eiusmodi foeminae et afficiuntur et affici debent. Pudoris ergo signum fuisse hunc ritum dubitatio-ne caret. Praeter has alii apud Graecos caput operiebant ad indicandum, quo afficiebantur, pudorem. Testabantur illum D olim

AK Td 89

X 337 6869

XXIII DE ELEGANTIA DICTIONIS POETICAE ETC

olim capite in sacris opero. \*) Peccatorum scilicet commissorum recordatio, iusta que erga summum Numen reverentia, affectum hunc merito gignit. Eleganter ergo scriptores Capitis obnupti mentionem faciunt, ipsam vocem pudoris silent. Sophoclem nolo tibi sistere, qui, vel Bourdelio monente, hanc elegantiam tangere videtur. Ipse, qui omnes antecellit, Homerus, Odyss. 8. v. 84. seq. Vlyssen, ob cantum Demodoci, pudore suffusum, commemorat; nihil tam secus signum pudoris tantum affert, ipsumque caput ueste oboluuisse canit. Et quid multa? Quae de iuuenibus, ad lupanar euntibus, ex scriptoribus supra Latinis protuli, hic repetenda veniunt e Graecis, Lucianus, dialogo, quem supra citauit, fata philosophi ve- nuste satis enarrat. Miser ille, pallio remoto, barbaque detonsa, serra scili- cet, ut omnia videantur ridicula, (*γελοιότερον γάρ τούτο*) stare adhuc in li- tore singitur Stygis. Demta enim nondum sunt supercilia, nauiculam nimis onerantia. Tandem lacrymantis et ad mortem expauescentis miseretur Mer- curius, ipsumque cito iubet nauim inscendere. Post, sine intermissione reli- quis vehementius plorantem alloquitur, cauasque lacrymarum ex eo quae- rit. Serio ille, se de immortalitate animae cogitasse, affirmat quidem, Menip- pus contra, alia esse; quae eum pungere credit, quod scilicet non amplius coenas posset coenare apparatas, neque, caput pallio tectum habens, lupanaria circumire. Sic verba Menippi fluunt: ὅτι μηκέτι δειπνήσει πολυτελῆ δεῖπνα, μηδὲ νύκτωρ ἔξιν, ἀπαντας λανθάνων, τῷ ιματίῳ τὴν κεφαλὴν κατελίπας, περίστιν ἐν κύλῳ ἵδι χαρατυπέει. Factum inde est adeo, ut κεφαλὴ καλυπτομένη pudoris loco simpliciter poneretur, et contra, qui, misso pudore, rem pudore dignam patrarent, eam κεφαλὴν γυμνὴ perfec- se dicerentur. Passim ἔγκαλύπτειαι simpliciter de pudicis usurpatum legitur hominibus. Luculenter id corroborat Aeschines rhetor: de legario- ne falsa, p.m. 261. Opp. Demosth. Mores scilicet Demosthenis ibi enarran- tur, quibus fuerit ostendere conarus, quānta Philopo praestiterit officia. Va- ria ergo in suam laudem dixisse fertur, tandem ei maxime ridenda adieciisse, et talia, quorum collegas praesentes ira debuerit pudere, ut vel caput obte- gere fuerint coacti: προσέθηκε — τά γε δὴ καταγέλασα παντελῶς, ἐφ ὃς οἱ συμπρέσθεις ἐνεπαλύψαντο. Vides hic simpliciter dici, ipsos se obtexisse. Imo tam frequens haec elegantia est, ut vel Hesychius obseruauerit, ἔγκαλ- ψτειαι idem esse arque αἰσχύνειαι. At! Ebraei, num eadem ratione pudorem indicant, Operumque Caput pudoris loco ponunt? Hac de re in posterum.

\*) De ritu capitii in sacris operiendi egit, praeter Lakemacherum in Observ. Philol. P. III aliosque, excellentissimus quondam huius academiae Orator, summuinque orna- mentum, I.G Bergerus, in diss. singulari, ubi mecum consentit, et caeteris huius ritus rationibus pudorem quoque annumerat.



B. *L II*

DE  
E G A N T I A  
ONIS POETICAE  
IN  
BRIS HVMANIS  
VVM LOCO POSITIS  
IMENTATIO PRIMA  
QVAM  
P R A E S I D E  
FRIDERICO HILLERO  
ES. PVBL. ORDIN. ALVMN  
ELECT. EPHORO  
VI. SEPTEMBR. 1666 LXVI  
UDITORIO MAIORI  
TVEBITVR  
AVCTOR  
IANVS GOTTLIEB CLVGIVS  
VITEBERG. SAXO  
VITEBERGAE  
D. CHRISTOPH. TZSCHIDRICHI

**BIBLIOTHECA  
PONICKAVIANA**